



**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1740

Titulus XLVIII. De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

TITULUS XLVII.

De Purificatione post Partum.

EX hoc Titulo communiter argumentum desumitur, quod leges Ceremoniales veteris Testamenti per mortem Christi Domini expirarent, adeoque puerperæ hodie non obligentur post partum dies illos purificationis *Levit. 12.* præscriptos, 40. scilicet, si masculum, 80. vero, si femminellam peperissent, observare, sed posse prima etiam hora post partum, si per vires corporis valeant, impune Ecclesiam ingredi, ne pœna sit, ubi culpa non est *cap. 7. dist. 56.* nec enim partus dolorosus culpa parientium, sed pœna primi peccati est in paradyso commissi *cap. un. h. t. & cap. 2. dist. 5.* Si tamen ejusmodi parientes etiamnum hodie ex Veneratione voluerint aliquamdiu ab Ecclesiæ ingressu abstinere, earum devotionem non improbat Innocentius III. in *cap. un. h. t.* quia bonarum mentium est, ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur. *cap. 2.*

de observ. jejun. Cur vero legem purificationis Ecclesia non receperit, cum tamen consecrationum, aliorumque sacrorum apparatus ex lege veteri admiserit (quæ oppositio Bœhmeri est *§. 2. h. t.*) hæc ratio redditur, quod illæ ceremoniæ, ritusque, quos Ecclesia adoptavit, non fuerint *typicæ*, figuræque Mysteriorum Christi futurorum, sed duntaxat religiosæ ad devotionem, ornatumque sacrificiorum spectantes, unde eos in lege gratiæ assumere inconueniens non erat: at vero purificatio, cum ob immunditiam partus ex lege indiceretur, ac per speciales ritus & ceremonias peculiariter ad populum Hebræum spectantes fieret, hæc lex expiatoria esse desiit, nec in nova lege utpote non tantum *mortua* sed etiam *mortifera* resuscitari amplius non debuit. Vid. Gonzalez ad *cap. un. h. t. num. 4. & 5.* & ad *cap. 3. de Constit. num. 14.*

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.

AD Liturgica quoque referimus cultum, ornatumque templorum, idque duplici ex capite; tum ut cultum religionis externum hoc pacto supremo Numini profiteamur; tum ut fideles simpliciores, quorum longe maxima pars est, sensibili templorum decore ad contemplandum invisibile incor-

corruptæ & incommutabilis sapientiæ decus traducamus. Utrumque pulcherrime explanat Thomassinus. De priori in *Theol. Dogmat. tom. 1. lib. 11. cap. 1. num. 11.* sic ait: *Externa autem cultus hujus significatio Sacrificiis maxime & Altaribus, & Templis proditur. Cætera enim, quæ Corporis ministerio exeruntur cultus Officia, nempe ad pedes accidere, adgeniculari, caput demittere, corpus inflectere, osculum libare, & idgenus alia, humanis etiam plerumque obsequiis evulgata, & pene profanata sunt. At templa, aras, victimasque dedicare nisi summo Numini vetat ratio, humanitas ipsa abhorrescit. De altero Veter. & Nov. Eccles. discipl. tom. 3. part. 3. lib. 3. cap. 37. num. 19. his verbis: Antiquissimi, iidem sanctissimi Patres ita constituebant, cum longe maximam partem fideles simpliciores, & sensibilibus addictiores sint, eos ad intelligentiam qualemcunque, & amorem pulchritudinis incorruptibilis alliciendos esse, nitore, & Majestate quadam exterioris cultus, quo æterna & intelligibilia adornantur. Ne eo quidem vacare culpa censebat Augustinus Manichæos cont. Epist. Manich. cap. 8. quod solennioribus Festis nullo præcipuo, & eximio cultu templa ornarent: NULLO FESTIVIORE APPARATU. Hæc prolixius eo fine præfari visum est, ut Boehmeri temeritatem retunderemus, qui §. 6. b. t. scribere ausus est, externo hoc splendore, & Ecclesiarum ornatu non indiguissæ purioris Ecclesiæ statum, & pietatem Christianorum integram. Hæc non loci Sanctitate, inquit, provocanda: non ornatu externo excitanda, nec aliis elementis sustinenda infirmis, sed solidiori innixa erat fundamento, ut citra loci respectum virtutem suam edere posset.*

§. I.

Quid sint Tempia? Quando edificari cœpta? Et penes quos sit potestas erigendi Tempia?

SUMMARI A.

1. Templorum multiplex Synonymia. 2. Eorum antiquitas. 3. Post Tempora Constantini M. promiscue à Christianis edificari cœpta consensu Episcopi ex intervallo ad id operis requisito. 4. Tacitus tamen etiamnum sufficit, ubi plura de ædificatione Templorum. 5. Boehmerus curam extruendorum

Iii.

tem-

temporum Principibus secularibus jure ordinario competere asserit, Episcopis vero non nisi ex illorum delegatione. 6. Contrarium ostenditur. 7. An nova Ecclesia Parochialis in præjudicium veteris edificari possit? 8. Quid juris, si aucto Parochianorum numero unus rector Sacramentis administrandis non sufficiat? 9. Cap. fin. h. t. explicatur.

Templa variis nominibus efferuntur. Gentilibus, & paganis Delubra, vel fana dicebantur, ut notat Vossius in *Etymolog. ling. Lat. V. Delubrum, & V. Fanum*. Vel etiam templum, quasi tectum amplum. Albericus de Rosate in *Dictionary. V. Templum*. Apud nos orthodoxos hæc synonymia habent. Vocantur Domus, hoc est, Domus DEI, & Orationis. Frances de *Eccles. Cathedr. cap. 15. num. 75. Dominicum* ab ipso omnium Domino, quemadmodum Græci Ecclesiam dicebant Kyriacam. Olim etiam Memoria Martyrum, vel Martyria appellabantur, quia erigebantur in memoriam & honorem Martyrum, vel ubi Martyrum Corpora & Reliquiæ reponerentur. Item Basilica, vel Oratoria audiebant, hoc cum discrimine, quod illæ augustiori, hæc augustiori forma essent contentæ. Tituli etiam templa denominabantur Anastasius in *Marcello Papa Card. Bona rer. Liturg. lib. 1. cap. 19. num. 4.* Denique etiam Ecclesie appellantur, quatenus denotant locum, in quo Christiani conveniunt ad cultum divinum peragendum. Macrius in *Hierolex. V. Eccles.* ubi alias denominationes colligit. Et sub hac ultima appellatione vel sunt Cathedralæ, ubi scilicet Episcopus suam principalem sedem habet. Barbof. *J. E. V. lib. 1. cap. 25. num. 19.* vel Collegiate, ubi Canonici, vel Clerici sub uno corpo-

re capitulariter congregantur. Barbof. *lib. 2. cap. 6. num. 6.* vel Regulares, ubi Religiosi sub certa & approbata Regula vivunt, vel Matrices, quæ quasi Matres sunt aliarum sibi subjectarum sive filiarum juxta Concil. Trident. *Sess. 21. de Reform. cap. 7.* Varia hæc Synonymia exposita describimus templum, quod sit locus publicus, sacer, & DEO consecratus, in quo Orationes & Sacrificia DEO offeruntur. Cum enim in his consistat maximus DEI cultus, & Sacrificium per publicum ministerium ad id muneris legitime deputatum obeatur, conveniens haud est, ut fortuito tantum Mysterium peragatur, sed requiritur omnino locus rite consecratus, quem usuali vocabulo templum aut Ecclesiam indigitamus.

De Origine templorum (ne frustra verba faciamus) remittimus lectorem ad *tit. de Consecrat. Eccles.* ubi *§. 1. num. 3.* contra Boëmerum evicimus, illa temporibus Apostolorum coæva, atque ab ipsis primis fidei Satoribus condita fuisse, in quorum confirmationem addimus Edictum Diocletiani de evertendis Christianorum templis latum, quod his verbis refert Eusebius *Histor. Eccles. lib. 8. cap. 3.* Anno Decimo Nono Imperii Diocletiani mense Dystro (qui à Romanis Martius nominatur) cum salutaris Passionis Dominice festum jam pro foribus esset, omnibus in locis per Imperatoris litteras palam edictum fuit, ut tum detur-

barentur Ecclesiæ, soloque æquarentur &c. ergo, antequam Diocletianus imperaret, Christianis jam templæ erant, ad quæ orationis, communionis, Sacrificii causa convenirent. Illud equidem indubium est, fervente persecutionum æstu oppressos Christianos in lucis, & antris, aut ubi ubi demum loci fuisset, opportunitas, sacra fecisse, ut perhibet Dionysius Alexandrinus *Epistola ad Hieracem* apud Eusebium *lib. 7. cap. 17.* scribens: Cum ab omnibus persecutione exagitati essemus, & multati morte, festum letis animis celebravimus, & singula loca ad singula afflictionum genera nobis præstituta, ager Sylvestris, solitudo, desertæ, navis fluctibus jactata, diversorium publicum & horridus carcer, opportuna videbantur, in quibus celebres conventus maximo cum studio ageremus.

Postquam sævissimi persecutionum posuere fluctus, & pax ac tranquillitas Ecclesiæ reddita est, Christiani, quorum numerus indies augebatur, exemplo Constantini M. Imperatoris, de quo Eusebius *Orat. de ejus laudibus* testatur, eundem Ecclesias, templæ, ædes sacras, sumptibus ad eam rem liberali & regia manu suppeditatis extruendas mandasse, excitati & ipsi magnifica templæ extruere, aut antiqua, fundamentis eorum ad majorem laxitatem dilatatis, ut perhibet idem Eusebius *Histor. Eccles. lib. 8. cap. 1.* instaurare cœperunt. Procedente tempore cum fervor hic nonnihil intempestivus evaderet, studiumque ædificandi Ecclesias in abusus degeneraret, necesse erat, ut modus huic licentiæ poneretur, zelusque præproperus certis limitibus circumscriberetur, quæ licentia tum per

Conciliorum Decreta, tum per Imperatorum Leges & Constitutiones eatenus cohibita fuit, ut jam posthac sine venia Episcopi templæ extruere nemini fas esset, prout constat ex *Can. 4. Concilii Calchedonensis*, qui apud Gratianum *cap. 10. C. 18. Q. 2.* his verbis refertur: *Placuit igitur neminem aut ædificare, aut construere Monasteria, aut Oratorii domum sine conscientia ipsius civitatis Episcopi.* Concil. Arausicano I. *Can. 10.* Arelateni II. *Can. 36.* item ex *Nov. 67. cap. 1.* Ex *Capitularibus Regum Francorum lib. 5. cap. 382.* & in *addit. 3. ad Capitul. cap. 72.* & passim apud Gratianum *de Consecr. dist. 1.* Van-Espen *J. E. V. part. 2. tit. 16. cap. 2. num. 2. & 3.* De avaritiæ labe, qua in pio hoc opere Christianorum pietas inquinari cœpit, legendus est Canon VI. Concilii Bracarenensis III. non II. ut perperam allegatur à Gratiano in *cap. 10. de Consecrat. dist. 1.*

Quod dictum est, sine licentia Episcopi non debere construi Ecclesias, id intelligendum est tam de licentia tacita, quam expressa, nam illam quoque sufficere docet Vallengis *b. tit. §. 1. num. 3.* Azor *Instit. Moral. part. 2. lib. 5. cap. 3. Q. 6.* adeoque satis est, quod Episcopus sciat, & non contradicat vel consensum ex postfacto impertiatur. Quin quod etiam ad Episcopi superiorem detur recursus, si ille irrationabiliter dissentiat, idem Azor *Q. 8.* tradit, cui adstipulatur Barbosa *de potest. Episc. part. 2. allegat. 26. n. 1.* prope finem. Quod si sine consensu Episcopi (quo etiam exempti indigent, si in loco non exempto ædificare velint, Concil. Marciacens. *Can. 37.*

Iii 2

vel

vel in exempto auctoritate S. Pontificis per cap. 4. de Privilegiis in 6.) Ecclesia aedificata fuerit sine damno alterius, tunc non quidem destrui debebit, sed Ecclesia cum dote sua iuribus Episcopalis applicabitur, aedificans vero *Jus Patronatus* in illa non habebit. Vallenf. d. num. 3. similiter si talis Ecclesia aedificata fuerit, antequam sufficiens dos eidem constituta fuerit, non quidem destrui, sed fundatores, qui talem Ecclesiam aedificari, & consecrari curarunt, ad dotandum cogendi erunt. cap. 8. de Consecratione Ecclesiarum. cap. 26. C. 16. Q. 7. vel, si hos paupertas impotentes reddat, Episcopus, qui hac in parte culpabilis existit, dotem congruam constituere debebit. Glossa in cap. 9. de Consecratione. dist. 1. arg. cap. 4. de Praebendis. De Oratoriis vero privatis id juris est, quod cuilibet integrum sit, etiam sine consensu Episcopi illa extruere, Missas tamen ibidem, sine venia Episcopi celebrare non licet. cap. 33. § 35. de Consecratione. dist. 1. Concil. Trid. Sess. 22. de Observatione in Celebratione Missae.

5 Ut nullam haecenus Boëmerus praetermisit occasionem *Jus sacrorum* Principibus politicis asserendi, ita in praesentiarum templorum extruentionem ad curam publicam pertinere, eamque Episcopos non jure proprio, sed ex delegatione Imperatorum exercere contendit. Verba ejus hic §. 14. sic habent: Primum ergo in erigendis templis requisitum est auctoritas publica, sive immediate, sive mediate per Episcopos interponenda, ut olim ex DELEGATIONE IMPERATORUM. Id evincunt leges: id Capitularia docent, in quibus haec Provincia ab Imperatori-

bus & Regibus demandata est Episcopis, adeo, ut in hujus juris, auctoritatisque exercitio non suum, sed Reipublicae gesserint negotium. Confirmat hoc suum assertum exemplis Caesarum & Regum, qui, quando templa extruxerunt, id suo egerunt jure, nullo Episcoporum concurrente assensu, aut Papali auctoritate, utpote qui olim in eo impertiendo Principis vices explicabant.

6 Sed rursus sagitta haec à scopo quam longissime aberrat: Neque enim in Legibus & Capitularibus Imperatorum, ac Regum de delegatione Episcopis facta vel jota reperitur. Id duntaxat statuere laudati Principes, ut ne quis privatus sine venia Episcopi templa excitare, & condere praesumat. Sic Justinianus in Nov. 67. cap. 1. statuit, nulli licentiam esse, neque Monasterium, neque Ecclesiam, neque Orationis domum incipere aedificare, antequam Civitatis DEO amabilis Episcopus Orationem in loco faciat, & Crucem figat &c. Similia habent Capitularia lib. 5. cap. 382. Nemo Ecclesiam aedificet, antequam Civitatis Episcopus veniat, & ibidem Crucem figat. Quis quæso, ex his verbis formulam delegationis legat? Ut honori & dignitati Episcoporum consulere faventissimi Imperatores, prohibuerunt subditos inconsultis Episcopis templa extruere: ergo haec cura & inspectio Ecclesiarum competit Episcopis jure delegato. Quid absurdius? Ad alterum, quod Imperatores & Reges pro Regali sua munificentia Ecclesias, & Monasteria sua unius auctoritate fundaverint, & construxerint, id non probat, curam sacrorum principaliter ad Principes Laicos pertinere, sed hoc duntaxat exinde erui-

eruitur, coronata quoque capita Ecclesiæ præsidio adfuisse, & in partem sollicitudinis vocatos esse. Neque enim tam incivilis est Ecclesia, ut nullas omnino partes Imperatorum & Regum in rebus & juribus Ecclesiæ protegendis esse velit, quæ in ipsis quoque æcumenicis Synodis Vicarias Christi regis partes iisdem attribuit. Videatur Reginaldus Polus, Præses olim Concilii Tridentini in *Q. Q. de Concilio Quest. 75. § 3. seqq.* quæ exhibentur *tom. 20. Concil. edit. Venet. pag. 991.* Quodsi in hoc duntaxat sensu *jus sacrorum* Bœhmerus Principibus Laicis competere asserat, nos sibi nequaquam adversos habet.

7 Quæres, an aliquo casu in præjudicium veteris Ecclesiæ Parochialis alia de novo ædificari possit? Resp. regulariter id quidem esse vetitum per *cap. 43. § seq. C. 16. Q. 1.* Quodsi tamen Parochiani ob nimiam distantiam ab Ecclesia Parochiali, vel itineris difficultatem non sine gravi incommodo eam adire queant, eo casu invito quoque Rectore Ecclesiæ principalis nova cum Episcopi autoritate, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati erigi, & portio competens novo beneficiato ex redditibus Parochiæ veteris arbitrio Episcopi constitui poterit *cap. 53. C. 16. Q. 1. cap. 3. h. t. Concil. Trident. Sess. 21. de Reform. cap. 4. Fagnan. ad cap. 3. h. t. num. 18. § seq.* cum enim cura Rectori priori minuat, & alteri pro parte assignetur, conveniens quoque est, ut ad novi beneficiati sustentationem concurrat *cap. 1. de Sepult.* dummodo superfluos redditus habeat, & congrua sustentatio prioris Rectori remaneat, quod arbitrio

Episcopi, uti & circa loci distantiam, vel alia incommoda relinquendum esse, docent laudatus Fagnanus *loc. cit.* Zypæus ad *h. t. num. 14.* Van-Espen *cit. cap. 2. num. 13. § 14.* & ex hac causa Ecclesiæ Matræ competens honor à nova erecta Ecclesia exhiberi jubetur in *cit. cap. 3. h. t.* imò *jus quoque Patronatus* acquireret Ecclesia Matræ in novam illam Ecclesiam, si ex redditibus suis eam dotaverit; non item, si alius ex propriis bonis eam fundaverit, & dotaverit. Panormit. ad *d. cap. 3. h. t. num. 10.* Quodsi Ecclesia matræ redditus quidem aliquos superfluos habeat, qui tamen pro sustentatione novi Rectoris haud sufficiant, Parochiani ad suppetienda necessaria ab Episcopo cogi poterunt. Concil. Trid. *d. loc.* si populus quoque inopia laboret, tunc Prælatus, cui Ecclesia illa in temporalibus subest, tenebitur. *cap. 2. §. fin. dist. 70.* in hujus quoque defectum succurret Episcopus *cap. 24. C. 12. Q. 1.* Et hunc esse casum, quo Ecclesia sine dote constitui possit, notat Fagnanus ad *d. cap. 3. h. t. num. 7. § 32.* ex mente S. Congregationis Concilii.

8 Ulterius in casu, quo numerus Parochianorum ita excrescit, ut unus Rector Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo non sufficiat, Concil. Trid. *d. Sess. cap. 4.* præcipit, ut Episcopi cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, tot sibi Sacerdotes ad id muneris adjungere, quot Sacramentis exhibendis, & cultui Divino peragendo sufficiant. Interim nec hoc, nec priori casu opus est, ut aliquando Parochiani actualiter sine Sacramentis decesserint, sed satis est, probabili periculo eos esse expofitos,

sitos, ut notat Fagnanus ad *d. cap. 3. b. t. num. 17.* quia præstat integra jura servare, quam post vulneratam causam medelam quærere. *l. ult. C. in quib. caus. in integr. l. 1. C. Quand. liceat unicuique sine jud.*

9 Illud quoque notandum est ex *cap. fin. b. t.* quod Episcopus ex rationabilibus causis novam Parochiam erigere possit, non obstante juramento præstito de rebus Ecclesiæ non alienandis, quia tale juramentum Parochianorum

spirituali saluti præjudicans obligatorium dici non potest *cap. 28. de jurejur. consensum tamen Capituli adhibere debet arg. Clem. 2. de rebus Eccles. non alien. ubi is ad unionem Ecclesiæ faciendam requiritur, consequenter etiam ad divisionem Parochiæ arg. cap. 1. de R. J. si tamen procedat jure Ordinario, non item, si tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, quia tunc Conjunctionem cum Capitulo habere non censetur. Fagnan. d. l. num. 53.*

§. II.

De Reparandis Ecclesiis.

SUMMARI A.

10. Ecclesias collapsas restaurare æquum est. 11. Quinam ad reparationem teneantur? 12. An etiam Patroni? 13. Decimatores? 14. Quod affirmamus. 15. In defectum prædictorum ad id oneris Parochiani tenentur. 16. Maxime qui causa destructionis extiterunt. 17. Ubi omnia reparandi media deficiunt, fit unio vel ad matricem, vel aliam vicinam Ecclesiam. 18. Ecclesia, si citra culpam destruat, privilegia sua non amittit.

10 **Æ**quum omnino est, ut Ecclesiæ Divino cultui semel dedicatæ suo in decore perpetim conserventur, aut, si quæ collapsæ sint, dum fieri potest, postliminio restituantur & reparentur, id quod PP. Concilii Toletani IV. Bracarensis, Arelatensis VI. ac novissime Tridentinæ Synodi *Seff. 21. de Reform. cap. 8.* salubriter sanxere. Unde jam quæritur, quis ad Ecclesiarum reparationem teneatur?

11 Spectato jure antiquo redditus Ecclesiastici in quatuor partes, sive portiones dividebantur, quarum una reparationi fabricæ, sive Ecclesiæ destinata erat, ut constat ex *cap. 26. & seqq.*

C. 12. Q. 2. & ex Epistola S. Gregorii M. ad Augustinum Anglorum Episcopum directæ, quam recitat Van-Espen d. part. 2. tit. 16. cap. 5. num. 2. Quapropter si etiamnum ex antiqua Ecclesiæ disciplina quædam bona pro fabrica Ecclesiæ specialiter deputata sint, ea in reparationem impendi debent. Peckius *de Reparand. Eccles. cap. 14.* Quod si redditus peculiares Ecclesia non habet, attendendam esse consuetudinem monet Panormitanus ad *cap. 1. b. t. num. 3.* ut, si forte Parochiani onus reparationum in se suscepissent, illi ante Parochum conveniri debeant; secus hac obligatione Parochi distringuntur, supposito, quod

re-

reditus superfluos habeant *cap. 4. h. t.* quin & alii Clerici qui beneficium ab Ecclesia habent, quod interpretes communiter deducunt ex *cap. 1. h. t.* ubi dicitur, quod, qui beneficium Ecclesiasticum habent, omnino adjuvent ad *teſta Eccleſiæ reſtauranda, vel ipſas Eccleſias emendandas.* Sed perperam ex hoc textu prædicta obligatio eruitur, cum non loquatur de Beneficiatis Clericis, sed de Laicis, qui decimas, aliave bona Ecclesiæ jure feudi, seu beneficii tenebant, ut patet ex toto contextu dicti Canonis, qui est Concilii Moguntini ab Antonio Augustino in prima Decretalium collectione relatus. Gonzalez ad *d. cap. 1. num. 2.* Van-Espen *d. cap. 5. num. 6.* Interim hæc obligatio ex aliis Canonibus probari potest, quos congeſſit Gonzalez *d. cap. num. 3.* & commendat summa æquitas, ut scilicet, qui fruuntur commodis & proventibus Ecclesiæ, ad ejus quoque reſtaurationem concurrant. *cap. 55. de R. J. in 6.*

12 Idem dicendum est de Patronis, & aliis quibuscunque, qui fructus ex bonis Ecclesiæ percipiunt Concil. Trid. *Sess. 21. cap. 7.* pro rata scilicet emolumentum, quod inde capiunt, cujus determinatio in specie arbitrio Episcopi relinquitur. Barboſ. ad *d. loc. Concil. num. 15.* Idem tamen in *cap. 4. h. t. num. 4.* ex Lambertino de *Jur. Patron. lib. 3. art. 2. Q. 7. princ. num. 5.* notat, quod hoc de illis tantum Patronis intelligendum sit, qui aliquos fructus aut pensiones in prima fundatione sibi reservarunt juxta mentem Concil. Trid. ibi: *Et alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt,* adeoque non indistincte de omnibus Patronis hoc verum est, ut

contra Antonium de Butrio in *cap. 4. de Conſecr. Eccleſ.* optime advertit Rochus de Curte de *Jur. Patron. in V. onerosum num. 7. cap. 1. Resp. 1.*

De Decimatore nonnihil dubium est, an is ad reparationem illius Ecclesiæ teneatur, à qua decimas percipit? Zoëſius *h. t. num. 5.* negat hoc onus Decimatori incumbere, eo quod nullo in jure hoc cautum reperiatur, & præterea Decimæ, postquam semel legitime sunt separatæ ab Ecclesia Parochiali, & alteri concessæ, computari amplius nequeunt inter fructus prioris Ecclesiæ, consequenter nec ad reparationem obſtringi poſſunt Decimatores.

At magis est, ut hoc onere decimatoris diſtringi dicamus, eo, quod decimæ non tantum in ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ, ſed etiam propter conſervationem fabricæ primitus fuerint inſtitutæ, ut notat Rebuffus de *Decim. Q. 2. num. 4.* & Peckius *d. tr. cap. 14. n. 2.* ubi ſubjicit: „Quamvis hodie diſtributio illa antiqui juris in omnibus non ſervetur; illud tamen & jure, & conſuetudine receptum eſt, ut hoc onus prædictis reſcitibus, proventibus, & decimis annexum eum ſequatur, qui eorum uſum, fruitionem, perceptionem, & commoditatem habet. Quod ex *cap. 2. § 3. C. 10. Q. 3.* ſatis confirmatur, ubi, ſi Episcopus portiones Parochiarum percipiat, ad Eccleſiæ reparationem obligatur. Accedit, quod idipſum in Synodo apud Pontem Audomari 1279. & in Concilio Cameracenſi *part. 1. tit. de Decimis cap. 8.* nec non *part. 2. tit. 24. cap. 12.* ſtatutum fuerit, quæ decreta exhibet

Van-

Van-Espen *d. cap. num. 11. § 12.* Et hanc Sententiam plurimorum locorum consuetudine firmatam esse idem Zoësius testatur.

¹⁵ In defectu prædictorum omnes Parochiani propter commune commodum commune onus sustinebunt Concil. Trid. *d. loc.* ubi opportunis remediis per Episcopum cogi jubentur, quæcunque appellatione, contradictione, & exemptione non obstante. Et dicta non tantum de Ecclesia Parochiali, sed de ipsius quoque domus Parochialis refectione intelligenda sunt, quia finis Ecclesiæ Parochialis haberi nequit sine idonea Parochi habitatione juxta declarationem Card. relatam à Joan. Galemart. in *d. loc. Trid. num. 4. V. Parochiales.* Quod tamen Card. de Luca in *Miscellan. Eccles. Discurs. 29. num. 4.* ita limitat, ut illa Regula: quibus incumbit onus restorationis Ecclesiæ Parochialis, incumbit etiam onus restaurandi domum Parochi, duntaxat locum habeat, quando tale onus provenit à dispositione juris, non item, ubi prior obligatio ex consuetudine nata est, tunc enim de casu ad casum, de loco ad locum extendi non debet.

¹⁶ His adde ex Zoëσιο *num. 1.* quod si aliquis destructioni causam dederit, ille ante omnes alios ad reparationem teneatur, adeo ut etiam tacitam hypothecam in ejus bonis Ecclesiæ tribuat cum Tiraquello *de Privileg. piæ caus. Everard. in loc. à fisco ad Eccles. Pechius cap. 4. num. 1.* qui *cap. 5.* etiam mulieri talem Ecclesiam tempore priorum præfert *arg. l. 2. C. de Privileg. fisci. Vallenf. h. t. §. 2. num. 1.*

¹⁷ Quodsi denique omnes supra dicti tanta egestate laborent, ut repa-

randæ, vel reedificandæ Ecclesiæ pares non sint, tunc talis Ecclesia vel ad aliam matricem, si filialis fuerit, vel ad aliam vicinam transferri jubetur. Concil. Trid. *d. loc.* ut scilicet in Ecclesia, ad quam transfertur, erigatur Altare, vel Capella sub invocatione & Patrocinio, cujus erat prior Ecclesia, vel ut transferatur ad Altare vel Capellam jam erectam cum omnibus emolumentis & oneribus priori Ecclesiæ impositis Barbof. ad *d. loc. Concil. num. 25.* De cætero talem Ecclesiam non præcise deferri debere, donec omnino corruat, sed statim destruendam esse advertit Riccius in *prax. aur. part. 2. resolul. 201.* Zerola in *prax. Episc. part. 2. V. Parochia Q. 6.* Quin, quod Ecclesiæ etiam nulla refectione indigentes quandoque destrui possint v. g. si sint extra loca habitata constitutæ, vel in talibus locis locata, ut pro delinquentium & facinorosorum hominum perfugio cum publicæ quietis nocumento deserviant, docet Card. de Luca in *annot. ad Concil. Trident. Discurs. 17. num. 3.*

Postremo illud adhuc notandum ¹⁸ venit ex Azorio *part. 2. lib. 9. cap. 3. Q. 13.* Quod, si Ecclesia incendio, tumultu bellico vel pro novo ædificio destruat, non ideo privilegia, & indulgentiæ ejus amittantur, sed in novo ædificio perdurent; non item, si in sceleris vindictam autoritate superioris destruat. P. Engel *h. t. num. 12.* Esset jam, ut, quæ Bœhmerus hic non in ædificationem sed destructionem, Ecclesiæ adduxit, ad examen vocaremus. Sed relinquimus impræsentiarum architecto huic suas ideas, quas quisquis Architectonices Christianæ peri-

peritus consideraverit, opus illius Magistri esse facile deprehendet, qui ex alienis ruinis Ecclesiam construere consulto meditat. Neque etiam nostra interest in Ecclesiam protestantium oculos conjicere, nam (ut est apud Platarchum lib. de Curiosit.) neque justa, neque honesta, neque suavis adeo est ista inspectio.

SUNT INTUS, HOSPESES,
SANE VISU TURPIA.

TITULUS XLIX.

De immunitate Ecclesiarum, Cœmeterii, & rerum ad eas pertinentium.

Post ædificationem, & reparationem Ecclesiarum, superest, ut de privilegiis, & immunitate earundem agamus. Est vero immunitas ad sensum hujus Rubricæ nihil aliud, quam jus, quo loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ à communi onere vel obligatione liberæ sunt, & exemptæ. Covarruv. lib. 2. Var. resolut. cap. 20. num. 1. Panormit. ad Rubr. h. t. ideoque alia immunitas est *localis* de qua in cap. 6. h. t. alia *realis* rebus Ecclesiæ competens cap. 7. h. t. alia denique *personalis*, de qua in cap. 4. Eod. cap. 8. de jud. cap. 1. de for. compet. agitur. Nos commentationes nostras ad h. t. duobus paragraphis expediemus, in primo de immunitate *locali*, in altero de *reali* & *personali* magis necessaria allaturi.

§. I.

De immunitate locali, sive jure Asyli.

SUMMARIA.

1. Origo & causa immunitatis locali.
2. In Ecclesiis prohibentur nundinae, & negotiationes profanæ.
3. Strepitus judiciorum secularium.
4. Maxime criminalium.
5. Reis ad eas confugientibus asylum præstat.
6. Unde Bœbmerus hujus immunitatis originem petat, exponitur.
7. Falsitas ejus detegitur.
8. Immunitas hæc ortum suum ducit ex jure positivo, sacro, & profano.
9. 10. 11. 12. 13. 14. Loca sacra & profana hac immunitate gaudentia referuntur.
15. Jus asylum Ecclesiis tributum varia fata subiit.

Kkk

16.